

BELLVM PER
DESYDERIV M E-
rasmum Roteroda-
mum.

PARISIIS
Apud Simonē Colinæum,
1530

D.
S. C.



AUTHORE DESYD.

ERASMO ROTEROD. DULCE
BELLVM INEXPERTIS.



T elegans cum primis, &
multorum literis celebra-
tum adagiu est, γλυκὺς
ἀπέρρητός εστι, id est,
Dulce bellum inexperto.
Sunt quædam in rebus
mortaliū, quæ quantū
habeat discriminis ac ma-
lorum, non intelligas nisi
facto periculo. Dulcis inexpertis cultura potētis
amici, Expertus metuit. Bella res & splēdida vi-
detur, inter aulicos obambulare proctes, in re-
gijs versari negotijs, at senes, quibus vſu penitus
cognita res est, ab ea felicitate libenter abstinet.
Suaue videtur amare pueras, sed ijs qui nondū
senserunt quantū amoris insit amari. Ad eundē
item modū accōmodari poterit ad quoduis ne-
gotium multo cum periculo, multisq; cōiunctū
malis, quod nemo velit capessere, nisi iuuenis, &
retum imperitus. Si quidem Aristoteles in Rheto-
ricis hanc adfert causam cur iuuenta sit auda-
cior, cōtrā senecta timidior, quod illis imperitia
rerum cōfidentiā pariat, his multorum experie-
tia malorū, timiditatē & cunctationē. Quod si
quicquā est in reb⁹ mortaliū quod cunctāter ag-
gredi conueniat, immō quod oporteat modis or-
mīib⁹ fugere, deprecari, p̄pellere, certe bellū est,

a.ij.

B E L L U M

quo non alia res vel magis impia, vel calamitosior, vel latius perniciosa, vel haeres tercarius, vel tetricus, & in totu homine indignior, vt ne dicā Christiano. At dictu mirū, quam hodie passim, quam temere, quam quavis de causa suscipitur, quam immaniter ac barbarice geritur, nō tantū ab ethnicis, verū etiam à Christianis: nec a prophanis modo, verum etiā à sacerdotibus & epis copiosis: nec solum à fuenib⁹ & imperitis, verū etiam à senibus, & toties expertis: nec à plebeis tantum, & vulgo natura mobili, sed potissimum à principibus, quorū officium erat temerarios stultæ multitudinis motus sapientia rationēq; componere. Neq; defunct Iure consulti ac Theologī qui ad ista tā nefaria faces admouēt, & frigidam (quod aiunt) suffundunt. Quibus rebus fit, vt nunc bellum adeò recepta res sit, vt demurantur homines, esse cui nō placeat: adeò probata, vt impium, ac penè dixerim haereticū sit, improbasse rem vnam omnium vt sceleratissimā, ita miserrimam quoque. At quanto iustius erat illud demirari, quis malus geni⁹, quæ pestis, quæ intemperie, quæ furia primum in hominis mente immiserit rem vsqueadē beluinam, vt placidū illud animal, quod natura paci benevolentiaeq; genuit, quod vnum omnium saluti prodidit, tam ferina vesania, tam insanis tumultibus in mutuā rueret perniciem? Id quod magis etiā admirabitur quisquis animum à vulgo receptis opinionibus ad ipsam rerum vim ac naturā perspicilendā conuertit, ac seorsim hinc hominis imaginē, hinc belli simulacrum vete philosophis.

Paroëmia.

Hominis effigies.

cis oculis aliquantisper contempletur. Primum igitur si quis habitū modo figuramq; corporis humani cōsyderet, an nō protinus intellecturus est, naturā , vel potius Deū, animal hoc nō bello, sed amicitiæ:nō exitio , sed salutis:nō iniuriæ, sed beneficentia genuisse? Nam cæterorum animalium vnumquodq; suis instruxit armis. Taurorum impetus armavit cornibus , Leonum rabiem vnguisbus. Apri fulmineos affixit dentes. Elephantos præter cutē & molem, promuscidet quocq; tutatus est. Crocodilum cutis velut laniis cōmuniuit. Delphinis teli vice pīnnas addidit. Histricē spinis, Raiam aculeis defendit. Gallis calcar addidit. Alia testis, alia corlo, alia cortice cōmuniuit. Sunt quorum incolumitati perniscitate prospexit, veluti Columbis . Sunt rursum quibus venenū teli vice tribuit. Addidit his speciem tetram ac beluinam, addidit oculos truces, vocis stridorē. Inseuit nativa quædam dissidia. Solū hominem nudū produxit, imbecillem , tenerum, inermē, mollissima carne, cute lœui . Nihil vsquam in membris, quod ad pugnam aut violētiam datum videri possit, vt ne dicam interim quodd cætera ferē statim vt nata sūt, sibi sufficiūt ad vitam tuendam: solus homo sic prodit, vt multo tempore totus à subsidio pēdeat alieno. Nec fari nouit, nec ingredi , nec cibū capere, vagitu tātum implorat opē : vt vel hinc coniisci possit, solū hoc animal totū amicitiæ nasci, quæ mutuis officijs & coit & cohæret potissimum. Proinde natura voluit hominē vitæ munus non tā sibi quām benevolētiæ acceptum ferre, quò vi-

B E L L V M

delicet intelligeret sese gratijs esse dicatū ac necessitudini. Tū speciem dedit non tetrā & horridam vti cæteris, sed mitem ac placidam, amoris ac benevolentiae notas præ se ferentem. Tristibus oculos amicos, & in his animi signa. Dedit brachiorum sinus ad cōplexū. Dedit osculi sensum, quo ceu copularētur, & sese cōtingerēt animi. Vni risum attribuit, alacritatis indicū. Vni lachrymas, clementiæ & misericordiæ symbolū. Quin & vocē dedit, non minacem & horrendā sicut beluis: sed amicam & blandā. Nec his contenta natura, sermonis & rationis usum vni tristibus, quæ quidem res ad parandam & alendam benevolentiam in primis valet, ne quid omnino per vim inter homines gereretur. Inseuit odium solitudinis, amorem sodalitatis. Indidit penitus benevolentiae semina. Fecit vt quod est saluberrimum, idē sit & suauissimum. Quid enim amico iucundius! Ac rursum, quid æque necessariū! Proinde si maxime licetet absque mutuo commercio commode vitam agere, nihil tamen iucundū videri possit absq; socio, nisi si quis prorsus hominem exuerit, & in feram degenerarit. Addidit insuper liberalium disciplinarū studiū, & cognitionis ardorem: quæ res vt potissimum abducit hominis ingenium ab omni feritate, ita ad cōciliandas necessitudines præcipuam vim habet. Siquidē nec affinitas, nec sanguinis propinquitas arctioribus aut firmiorib⁹ amicitiæ vinculis astringit animos, quam societas honestorū studiorum. Super hæc admirabili quadā varietate dotes tum animorū tū corporū inter mor-

tales partita est , nimirum vt singuli in singulis
inuenirent quod vel amarent ac suspicerent ob
excellentiā , vel ob usum & necessitatē ambi-
rent & amplecterentur . Denique indidit diuīng
mentis scintillulam , vt nullo etiam ostendo p̄r-
mio , tamē per se iuuet benemereti de omnibus .
Id enim Deo maxime propriū ac naturale , suo
beneficio consulere vniuersis . Alioqui quid illud
est , quod haud vulgarem animo sentimus volu-
ptatem vbi quempā per nos seruatū intelligi-
mus ? Proinde Deus in hoc mundo velut simus
lactum quoddā sui constituit hominem , vt ceu
terrenum quoddā numē , saluti prospiceret om-
nium . Sētiunt hoc ipsa etiam bruta , cum videa-
mus nō mitia solū , verū etiā Pardos & Leones ,
& his immittiores bestias , in magnis periculis ad
hominis opē cōfugere . Hoc extremū ōnib⁹ asy-
lū , hēc ara est sanctissima vniuersis , hēc nulli nō
sacra est ancora . Hominis effigiē vtcūq depinxī
mus . Nunc bellī simulacrū ex aduerso cū hac , si
videtur , cōponam . Iā igit videre te puta barba . Belli si-
ras cohortes , ipso vultu sonorē vocis horrendas , mula-
hinc atq; hīc instructas ferratas acies , formidabi-
lē armorū crepitū , simul & fulgorē , iamabilē tā-
tē multitudinis fremitū , oculos minaces , rauca
cornua , terrificū taratātarē cātū , bombardū to-
nitrua , nō minus formidolosa veris , sed magis no-
xia , clamorē insanū , cōcursum furiosū , immanē
laniationē , cadentiū & occidētiū crudeles vices ,
cōgestas strages , vndātes cruore cāpos , fluios
humano tictos sanguine . Fit iterea nōnunq; vt fra-
ter incidat ī fratre , affinis in affinē , amic⁹ in ami-

a.iiiij.

B E L L V M

ēum, & cōmuni furore iam debacchante, in eius
vīscera stringat ferrum, à quo ne verbo quidem
vnquam fuerat lēsus. Deniq̄ tantum malorum
habet illa tragedia, vt à cōmemoratione quoq;
pectus humanum abhorreat. Ut interim non re-
ferā illa vulgaria præ his, leuiac̄, protritas pa-
sim segetes, exustas villas, incētos pagos, abacta
pecora, cōstupratis virgines, tractos in captiu-
tatem senes, direpta phana, latrocinijs, prædati-
onibus, violentia plena cōfusac̄ omnia. Vtque
taceam illa, quæ felicissimum etiā ac iustissimū
bellum consequi solent, expiliatam plebem, one-
ratos proceres, tot senes orbos, & simul in cæde
liberorum occisos, tot anus defitutas, & crude-
lius quām ferro peremptas, tot matronas vidu-
as, tot liberos orphanos, tot domos funestas, tot
opulētos ad inopiam redactos. Nam de morum
pernicie quid attinet loqui, cū nemo nesciat vni-
uersam vitæ pestē semel ē bello proficisci? Hinc
pietatis contēptus, hinc legū neglectus, hinc ad
quiduis audēdū sceleris promptus animus. Hoc
fonte nobis tā ingēs latronū, raptorū, sacrilego-
rum, percussorū turba scater. Et quod est omniū
grauissimū, hēc tam exitialis pestilētia nescit se
suis cōtinere spatij: sed in uno quoplā āgulo na-
ta, nō solū finitimas regiones veluti cōtagio per-
uadit, verū etiā procul semotas, vel mercede, vel
per affinitatis aut foederis occasiōne, in cōmūnē
tumultū, ac rerū tēpestatē pertrahit. Quinetiā
bellū ē bello serit, ē simulato verū, ē pūfillo ma-
ximū exoritur: necq; raro solet in his accidere qđ
de lernæ monstro fabulis proditū est. Hisce de-

causis, opinor, veteres illi poëte, qui rerū vim ac naturam & sagacissime perspexerūt, & aptissimis figuris adumbrarunt, tradidere bellum ab inferis immitti, idq; furiarū ministerio, neq; quamlibet furiam ad hoc negotij conficiendum esse idoneam. Deligitur omniū pestilentissima, cui nomina mille, mille nocēdī artes. Hæc innumeris armata colubris, Tartarea buccina præcinit. Pan insano tumultu cōplet vniuersa. Bello-na furiosū quatit flagellū. Furor impius, ruptis omnibus vinculorū nodis, euolat horridus ore cruento. Nec nō viderūt hæc grāmatici, quorum alij bellū κατ' ἀντίφεασι dicitū volunt, quod nihil habeat neq; bonū, neq; bellū: nec alia ratione bellū esse bellum, quām furias Eumenides. Alij malunt à belua deductū, quodd beluarū sit nō hominū in mutuum exitium congregati. At mihi sanē plus quām ferinum, plus q̄ bellū esse videtur, armis cōfigere. Primum enim plesraq; brutorum animantū in suo quodq; genere cōcorditer & ciuiliter degunt, gregatim incidunt, ope mutua sese tuentur. Ne feræ quidem omnes dimicāt. Sunt enim & innoxie, sicut Damæ & Lepores: sed omniū efferatissimæ, veluti Leones, Lupi, Tigrides. quāquam nec hæ belligerant inter sese, quādmodum nos. Canis caninam nō est. Leonum inter se feritas non dimicat. Draconi cum dracone pax est. Inter venena conuenit. At homini nulla fera perniciosior, q̄ homo. Rursus illæ cū pugnant, suis pugnat armis: nos præter naturā arte cacodemoniū ex cogitatis instruimus homines in hominū perni-

B E L L V M

ciem. Nec ille quibuslibet de causis sœuiūt, verū
vbi vel fames stimulat in tabie, vel se peti sen-
tiunt, vel foetui suo timēt. Nos, Deū immorta-
lem, quām friuolis de causis quas bellorū tragoe-
dias excitam? Ob inanissimos titulos, ob pueris-
lem iram, ob mulierculam, ob causas his quoq;
multo magis ridiculas. Ad hęc inter feras vni cū
vna bellum est, idque per breve: & vt cruentissi-
ma pugna sit, vna aut altera vulnerata discedit.
Quādo auditū est, id quod passim faciūt homi-
nes, cētū mīlia beluarū mutuo laniatu cōcidisse?
Adde quōd vt feris quibusdā naturale dissidēt
est cū alijs diuersi generis, ita rursum habent cū
quib⁹ genuina firmacq; coherēt amicitia. At ho-
mini cum homine, & cuilibet cū quolibet, fugis
pugna est, nec vllū satis firmū foedus inter vlos
mortaliū. Adeò quicquid à sua deflexit natu-
ra, in peiorē degenerat speciem, quām si natura
malitiā ingenuisset. Vis scire q̄ ferina, quām
foeda, quām non digna hominē res sit bellum?
Spectasti ne aliquādo leonem cum vrsō cōmis-
sum? Qui riētus, qui rugitus, qui fremitus, quæ
īmanitas, quæ laniatio? Inhorrescit qui spectat
etiam in tuto. At quanto foedius spectaculum,
quanto immanius, videre hominē cum homine
tot armis, tot telis instructum cōfigere? Quęso
te quis homines crederet, nisi cōsuetudo mali ful-
lisset admirationem? Ardēt oculi, pallēt ora,
furore præfert incessus, frendet vox, clamor in-
fanus, totus ferreus est, crepāt arma, fulminant
bōbardæ. Mitius erat si cibi causa homo homi-
nem deuoraret, si sanguinem hauitret: quanquā

**Epiphō-
nema.**

hoc quoque ventum est à quibusdam, vt id odio
 gratia faciant. At nunc idē fit crudelius telis ve-
 neno tinctis, tartareis machinis . nullum usquā
 hominī vestigium . An credas hic ipsam natu-
 ram agnitorum quod condidit! Et si quis admis-
 neat, an non merito huiusmodi verbis sit admis-
 ratura ! Quod nouum spectaculum ego video!
 Quis tartarus hoc nobis portentum edidit ! Sunt
 qui me nouercam appellant, quod in tā immen-
 sa rerum summa , venena quedam genuerim,
 quanquam & hæc in hominī cōmodum cessu-
 ra, quod aliquot animantia parum mitia finxe-
 rit, etiam si nulla fera tam immitis est, quin ar-
 te & officijs possit incurari. Hominis cura man-
 sescunt leones, mitescunt dracones, seruūt vrsi.
 Quæ tandem est ista plus quam nouerca, que no-
 uā hanc beluam, totius mundi pestem nobis de-
 dit ! Vnum animal totum genui benevolētię, pla-
 cidum, amicum, salutare. Quid accidit vt in hu-
 iusmodi ferā degenerarit ? Nihil agnosco homi-
 nis illius que finxi . Quis malus genius vitiauit
 opus meum? Quæ saga mentem humanam ex-
 cantauit & incantauit beluinam? Que Circe na-
 tuam vertit formam? Iuberem vt ad speculum
 se se confiplaretur infelix: sed quid cernant ocu-
 li, cum mens absit ! Tamē aspice te ipsum si po-
 tes furiose bellator, si quo pacto contingat resis-
 pescere . Vnde tibi minax crista verticis ? Vnde
 fulgens galea? vnde ferrea cornua? vnde pinnati
 cubiti? vnde squamæ? vnde dentes ærei? vnde la-
 minæ? vnde tela letifera ? vnde vox plus quam
 ferina ? vnde vultus iste plus quam beluinus?

Natura
ad ho-
mines.

B E L L V M

vnde tonitru & fulmen, ipso Iouis fulmine tum
 formidabilius, tñ nocetius! Ego te diuinu quod-
 dñ animal finxi. quid venit in mentē vt teipsum
 in tam immanem beluanam trāsformares, vt nul-
 la iam belua futura sit belua, si cum homine cō-
 ponatur? Hæc atq; id gen⁹ alia permulta diceret
 opinor architectrix illa rerū natura. Proinde cū
 sic conditus sit homo, quēadmodum ostensum
 est, cū huiusmodi res sit bellum quemadmodum
 nūm̄ crebro sentimus, haud mediocriter admī-
 rādum videtur, quis Deus, qui morbus, aut qui
 casus primum in humanū pectus immiserit, vt
 letale ferrum in hominis stringeret viscera. Mu-
 lti gradibus ad tam insignem vesaniam vētum
 sit oportet. Nemo siquidem repēte fuit turpisſi-
 mus, vt inquit poëta Satyricus. Sēpercq; malorū
 maxima, sub umbra ac specie boni subrepserūt
 in vitā hominū. Olim igitur cum rudes illi pri-
 sciq; mortales, nudi, sine mēnibus, absq; tecto,
 vitā in sylvis agerēt, euenit aliquoties vt à feris
 ac beluis offenderētur. Cum his igitur primum
 hominī bellū susceptum est, & vir fortis habes-
 batur, ac dux, qui ferarum vim ab hominū ge-
 nere depulisset. Quin & æquissimum videbatur
 fugulare iugulantes, trucidare trucidantes, præ-
 fertim cum nulla laceſſitatem iniuria vlt̄rō nos im-
 peterēt. Ea res cū summæ laudi duceretur (hinc
 enim Deus factus est Hercules) cœpit animosa
 iuuētus passim venari bestias, exuuium ceu tro-
 phæum ostentare. Deinde non contēti iugulaſ-
 se, pellibus illarū ſeſe munierūt aduersus rigo-
 re hyemis. Hæc erat prima homicidia, hæc ſpo-

lia. post hæc lōgius progressi, rem ausi sunt quā Pythagoras vehemēter impiam arbitratus est, & nobis poterat prodigiosa videri, nisi vetaret cōsuetudo, quæ tātam vbiq; vim habet, vt apud nationes quasdam piū fuerit habitum, parētem grādæum plagiis obtutum in fossam depellere, & eripere vitam illi, per quem vitæ munus cōtigerat. sanctum haberetur carnibus affiniū amicorum vesci. Pulchrum existimaretur, virginē in Veneris phano prostare populo. Multaq; ijs absurdiora. quæ si quis nunc referat tantum, nemo nō sit abominaturus. Aded nihil est tam scelerosum, nihil tam atrox, quod nō & probetur, si id commendet assuetudo. Ergo quod ausi sunt facinus? Non veriti sunt vesci ferarum extinctarum cadaueribus, dentibus laniare carnem exanimem, hauires sanguinem, exugere saniem, & viscera, vt ait Ouidius, in viscera condere. Id fascinus tametsi mitiorib⁹ ingenij tū immane visideretur, tamen commēdauit vsus & commoditas. Processum est longius. A noxijs feris itū est ad pecudes innoxias, scuitū est passim in oves, animal sine fraude dolocq; scuitum in léporem, non ob aliud crimen, nisi quodd esculentus esset. Nec temperatum est à boue domestico, qui suo sudore diū familiam aluerat ingratam. Nulli volucrum, nulli pisciū generi parcitū est: & eō processit gulæ tyrannis, vt nullum animal vsquam tutum esset ab hominis crudelitate. Verum hoc quoq; persuasit consuetudo, vt scuitia non videatur in vllum animantis genus, modo ab hominīnis cēde temperaretur. Sed in nobis fortasse sitū

BELLVM

est vitia quemadmodū mare non admittere, verum vt admissō limitē p̄scribamus, id nō est cuiquā in manu. Semel receptū vtrumuis, haud nostroducīs arbitrio, sed suo fertur impetu. Posteaquam his rudimentis essent ad cādem exercitati, persuasit ira vt homo hominē fuisse faxōve aut pugno peteret. Siquidē ijs adhuc armis tum pugnabatur opinor, & sā occidēdis pecudibus didicerant hominē quoq; minimo negotio posse perimi. Verū ista crudelitas dū constitit intra monomachias. Ad hāc nōnullā etiā æqui specie habebat sustulisse inimicū: laudi quoq; coeptum est dari, si quis violentum & pestilentē hominē, cuiusmodi ferunt fuisse Cacum & Busyridē, cōfecisset, orbēq; monstris istiusmodi liberasset. Si quidē videmus hos etiā titulos in Herculis extare laudib⁹. Deinde cōcurrsum est à plurib⁹, vt quosq; vel affinitas, vel vicinia, vel necessitudo cōfunxerat. Et quod nunc latrociniū est, tū bellum erat. Saxis & sudib⁹ præstis etiamnū res gerebatur. Riuulus occurrens, aut rupes, aut simile quippiam obuiū prælia ditimebat. Interea dum trecit vslu feritas, dum gliscut iræ, dū magis ardescit ambitio, furorē suū armat ingenio. Excoigitantur arma qualiacūq; quibus se cōmunit̄, excoigitantur tela quibus hostem perderet. Iam passim, iam frequetiōre manu, sā armati conflictari ceperunt. Nec huic manifesto furori suus defuit honos. Bellū appellariūt, & virtutem esse voluerūt, si quis sui capit⁹ periculo vim hostiū a liberis, ab vxore, a pecore, a domesticis latebris propelleret. Atq; ita paulatim vñā cū rerū cultu

crescēte malitia, bellum indicere cœpit ciuitas ciuitati, regio regioni, regnū regno. Quanquā in re per se crudelissima, tamen remanebat adhuc humanitatis pristinæ vestigia. Repetebatur res per fecialē, citabat testes superi, velitatione p̄fudebatur ad pugnā. Telis vulgaribus, & virtute, nō dolo res agebatur. Nefas erat ferire hostē nisi signo dato, nō licebat pugnare vbi receptus cecinisset imperator. Deniq; virtutis & gloriæ certamen erat magis q̄ occidēdi cupiditas. Nec tum arma mouebantur nisi in exteris, quos ob id hostes, velut hospites appellabaut. Hinc nata sunt imperia, quorū nullum vñquam fuit in vlla natione, quod non fuerit multo generis humani sanguine paratum. Deinceps assidue bellorū visces, dum viciissim alius aliū ab imperio depellit, & sibi vindicat. Post hēc cū imperia quoq; ad scleratissimos mortales deuenissent, iam in quoslibet pro libidine mota sūt arma, neq; male meriti, sed bene fortunati cœperūt maxime belli periculis esse obnoxij, & iam prælij scopus nō laus esse, sed fardidū lucrū, aut hoc etiā scelerati⁹ aliquid. Nō debito qui hēc p̄spexerit sapiētissim⁹ Ille Pythagoras, cū philosophico cōmento mūltitudinē hominū imperitā à laniādis pecudibus deterreret. Videbat futurū, vt qui nulla lacescit⁹ iniuria, pecudis inoxiē sanguinē fūdere cōsuevit, idē cōmot⁹ ira, & iniuria puocat⁹, nō metueret hominē intermire. Porr̄d bellū qd aliud est, q̄ multorū cōmune homicidiū & latrociniū, hoc scelerati⁹, quo lati⁹ patēs. Sed ridet hēc ceu del̄ ramēta scholasticorū à crassis procerib⁹ nostri

B E L L V M

tēporis, qui cū præter figuram nihil habeant hominis, tamē ipsi sibi planè dīj videntur. Et tamē ab his initijs huc videmus esse peruentū insanę vt tota vita nihil aliud agatur. Belligeramus affidue, gens cū gente colliditur, regnū cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, & quod ethnici quoq; fatentur impium, affinis cum affini, cognatus cum cognato, frater cū fratre, filius cum patre. Deniq; quod ego sane puto ijs omnibus atrocius, Christianus cū homine: addā inuitus quod est atrocissimum, Christianus cum Christiano. Et ô cætitatē mentis humanæ, hæc nemo miratur, nemo detestatur. Sunt qui applaudant, qui vēhant laudibus, qui rem plus quam tartareā, sanctam appellēt. Bellatur à decrepitiis, bellatur à sacerdotiis, bellatur à monachis, & cū re tam diabolica C H R I S T V M miscemus. Cōcurrūt actes vtrinque, crucis insigne preferētes, que vel ipsa poterat admonere quo pacto cōueniat vincere Christianos. A sacro illo cælesti, quo pfecta illa & ineffabilis Christianorū cōiunctio repræsentatur, curritur ad mutuam cædem, & rei tam impia C H R I S T V M facimus & spectatorem & auctorē. Vbinam diaboli regnū est, si in bello non est! Cur huc pertrahimus C H R I S T V M, cui cito cum quoq; lupanari conueniat, quam cum bello? Indignatur Paulus apostolus vllā esse cōtrouersiam inter Christianos, vt iudex sit adeundus qui litem dirimat. Quid si conficeret nos toto orbe belligerātes, & quamlibet leui de causa immanius quam vlli bellarint ethnici, crude-

Ius quām vlli barbari? idque fieri authoribus,
 hortatoribus, adiutoribus his, qui pacificum il-
 lum, & omnia conglutinantem pontificem re-
 präsentant, quique pacis omniē salutant popu-
 lum. Neq; me clam est quid iamdudū mihi re-
 clament Cares isti, quorū messis est ē malis pu-
 blicis, Bellum suscipimus inuiti, aliorū coacti
 malefactis. Ius nostrum persequimur. Quic-
 quid malorum habet bellū, illis feratur acceptū
 qui bellī dedere causas. Sed quiescāt interī pau-
 lis per, & horū causationes suo loco refellamus,
 ac fucum hunc, quo morbum nostrum prætexi-
 mus, detrahemus. Iam sicut hominem cum bel-
 lo, hoc est, animal placidissimum cum te longe
 immanissima compoſuimus, quō magis perspi-
 cua fieret atrocitas: sic bellū cum pace, rem mi-
 ferrimam, pariter & sceleratissimam, cum te fe-
 licissima simul & optima comparemus, atq; ita
 demum apparebit, quantæ dementiae sit, tanto
 tumultu, tantis laboribus, tanto sumptu, tanto
 discrimine, tot calamitatibus affectare bellum,
 cum multo minoris erit possit concordia. Prin-
 cipio quid in rerum natura dulcius aut melius
 amicitia? Nihil pfecto. Atqui quid aliud est pax
 quām multorum inter se amicitia? Sicuti cōtrā,
 bellum nihil aliud est, quām plurimorū simula-
 tas. Bonorum autem ea ratio est, vt quo latius
 pateant, hoc plus adferant commoditatis. Pro-
 inde cum viuis cū uno necessitudo, res sit adeò
 suavis & salutaris, quām ingens erit felicitas, si
 regnum cum regno, si natio cum natione necel-
 situdinis vinculo copuletur! Ediuerso malatum
 b.j.

B E L L V M

Pacis
tēpus.

rerum ea est natura, vt quo latius manariunt, hoc magis sint suo dignæ vocabulo . Itaq; si miserū, si sceleratum est hominem cum homine ferro congregredi, quanto calamitosius, quantoq; sceleratus est idem à tot hominum milibus fieri? Concordia res paruæ crescunt, discordia dilabuntur & magnæ. Pax, omnium bonarum rerum & parentis est & nutrix. Bellum repete semelq; quicquid est lætum, quicquid est pulchrum, obruit, extinguit, abolet, omniūmque malorum Lenam quandam in vitam mortalium effundit. Pacis tempore non secus ac si nouum quoddam ver rebus humanis adfulserit, coluntur agri, vernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificantur villæ, extruuntur oppida, restaurantur collapsa, ornantur & augentur extracta , crescunt opes, aaluntur voluptates , vigent leges, floret Reipublice disciplina, feruet religio, valet æquitas, pollet humanitas, calent artes opificum, vberior est quæstus pauperum , splendidior opulentia diutium, efflorescunt honestissimaruæ disciplinaæ studia, eruditur iuuentus, tranquillo fruuntur otio senes, bonis auspicijs nubunt virgines, laudatur simili prole puerperæ, florent boni, misnus peccant mali. At simul atq; belli sœua tempestas ingruerit, Deum immortalem, quam in agens malorum pelagus occupat, intundat, obruit vniuersa? Abiguntur armenta , proteruntur setes, trucidantur agricolæ, exuruntur villæ, tot seculis extractæ florètissimæ ciuitates vna procella subvertuntur . Aded proclivius est lædere, quam benefacere. Ciuiū opes ad execrandos la-

trones ac sicarios transferuntur. Moerent domus,
 metu, luctu & querimonis, lamentis cōplentur
 omnia. Frigent artes opificum, pauperibus aut
 se iunandum, aut ad impias cōfugiendum artes.
 Diuites aut ereptas deplorant facultates, aut ti-
 met relictis, utroq modo miserrimi. Virginum
 aut nullæ, aut tristes & funestæ nuptiae. Desola-
 tæ matronæ domi sterilescunt, silent leges, ride-
 tur humanitas, nullū habet locum æquitas, re-
 ligio ludibrio est, sacri & prophani nullū omni-
 no discriminem. Corruptitur omni vitiiorum ge-
 nere iuuentus, damnant longæ uitatem suam lu-
 ctuosí senes. Nullus honos honestis literarū stu-
 dijs. In summa, plus malorū sentim⁹ in bello, q
 uilius sermo possit assequi, nedū meus. Forte to-
 lerari poterat si bella calamitosos modo nos fa-
 cerent, nō etiā nocentes & impios, si pax felicio-
 res tantū redderet, nō meliores quoq. Nimium
 heu nimiū malorū erat, quibus assidue velit nos
 lit vexatur, atterit, absorbetur erūnosa mortali-
 tas. Ante bis mille ferme annos, trecēta morborū
 nomina medicis sunt animaduersa, preter speci-
 es, iā & quotidie subnascētes nouos, & senectutē
 ipsā, morbū inevitabilē. Legimus alibi totas vr-
 bes terræ quassatiōe subrutas, alibi cōflagrasse
 fulmine, alibi solidas etiam hiatu terrarū absor-
 ptas regiones, oppida suffossiōe cunicularū cor-
 ruisse, vt ne cōmemorē quātā hominū multitu-
 dinē iā cb assuetudinē cōtempti casus absumāt,
 exūdatio maris & fluminū, ruinæ mótiū & ædi-
 ficiorū, venena, lapsus, fere, cibus, potus, sonm⁹.
 Alium haustus in potu lactis pilus, aliū acinum

b.ij.

B E L L V M

vuæ, alium os piscis inhærens gutturi præfocauit. Sunt quos subitum exanimarit gaudiū, nam de vehementi dolore minus est mirum. Adde nunc fatales pestilentias, non raro passim sauietes. Nulla pars orbis est, vnde non immineat periculum humanæ vite, alioqui per se quoque fugacissimæ. Tantum vndiq; malorum obturbat, vt non sine causa Homerus hominem animalium miserrimum pronunciauerit. Verum hæc mala quoniam nec vitari facile possunt, nec nostro accidunt vitio, calamitosos tantum faciūt, non item facinorosos. Quid iuvat tam innumeris obnoxios calamitatibus, vltro sibi malum, perinde quasi desit, accersere? Et accersere non quoduis malum, sed malum omnium multo terrísum: tam perniciosum, vt vnum vincat omnia: tam fœcūdum, vt vnum in se cōpleteatur vniuersa: tam pestilens, vt non minus impios efficiat, quam erūnos: vt miserrimos reddat, nec tamen miserandos. Adiice iam his omnibus, q; pacis commoda latissime se se diffundunt, & ad plurimos pertinet. In bello si quid feliciter cecidit, quanquam, ô superi, quid hic potest dici felix? id ad paucos pertinet, & eos indignos. Alterius salus, alterius est exitiū. alterius opes, alterius sunt spolia. Huius triumphus, illius est luctus. vt acerba sit infelicitas, immanis & cruenta felicitas. Quanquam plerunq; fit, vt iuxta Cadmæam quam vocant victoriā, vtracq; pars ploret. Et haud scio an vñquam bellum adēd cesse rit feliciter, vt cordatum victorem suscepti non pœnituerit. Ergo cum pax res sit omnium tum

P E R D E S . P R A S . R O T E R . II

optima, tum iucundissima, bellum contraria, res omnium miserrima, simul & sceleratissima: nam hos sanæ mentis arbitrabimur, qui cum illam mediocri negotio parare quæcāt, hoc malint summis etiam difficultatibus accersere? Primum quām insuavis res primus ille belli rumor! deinde quantum inuidia subeundum principi, dum crebris decimationibus expilat suos? Quantum negotij in adiungendis aut retinendis auxilijs? quantum in accersendis barbaricis cohortibus, & mercenario milite? Quantum impeditij simul & curarum in apparandis classibus, in extremitatibus aut sarcinatis arcibus & praesidiis, in adoratandis tentoriis, in fabricandis & comportandis machinis, armis, telis, sarcinis, vehiculis, comitatu? Quantum laboris exhaudendum in compingendis vallis, in evacuandis fossis, in suffodiendis cuniculis, in excubij, in stationibus, in exercitamentis? Omitto iam metus, omitto pericula, (quid enim non metuendum in bello?) Quis enumerare valeat incommoda vietæ, quæ stultissimi milites in castris perferunt, & ob id maioribus digni, quod spote perferant? Victum, quem bos quoque fastidiat Cyprius. Somnos raros, nec hos tuo datos arbitrio. Tentorum vindicta ventis peruium, ac ne tentorum quidem Durandum sub dio, cubitandum humi, statandum in armis, ferenda inedia, frigus, aestus, puluis, imber, serulendum ducibus, vapulandum ferulis, quandoquidem nulla est ullius mancipij seruitus indignior, quam militum. Ad hæc ad triste signum eundum in mortem, ut aut

b.ijj.

B E L L V M

occidas immaniter, aut cadas infeliciter. Tantū malorum suscipitur, vt ad rem omnium miserā liceat peruenire. Tam immensis malis nos ipsos prius affligimus, vt alios possimus affligeremus. Quod si velim rem ad calculum vocare, & veris rationibus expendere, quanti bellum constet, quāti pax, profecto compriemus hanc vel decima parte curarum, laborum, molestiarum, periculorum, sumptuum, deniq^u sanguinis posse comparari, quibus bellum accersitur. Tantā hominum turbam educis in periculum, vt oppidū aliquod euertas. At horum opera, vel citra periculū, aliud extrui poterat multo praeclarius op̄pidū. Sed nocere vis hosti. iam hoc ipsum inhumanum. Attamen illud expende, num illi noce re non possis, nisi prius noceas tuis. Et furiosi videntur hominis, tantū certi mali sumere, cū incertum sit qud sit alea belli casura. Verum esto; rasperit ad hanc vesaniam ethnicos vel stultitia, vel ira, vel ambitione, vel auaritia, vel immanitas, siue (quod magis arbitror) ab inferis immis̄e furiæ. Vnde hoc nobis in mentē venit, vt Christianus in Christianū cruentū stringat ferrū? Parricidiū vocatur, si frater occidat fratrem. At Christianus cōiunctior Christiano, q̄ vllus germanus germano: nisi firmiora sunt naturæ vincula, q̄ c H R I S T I. Quām absurdum est eos penē continēter inter se belligari, quos vna domus habet ecclesia, qui eiusdem corporis mēbra, communī capite gloriat̄ur, nēpe c H R I S T O, cōmuni habet partem in cælis, cōmuni vegetatur spiritu, ijsdem initiati sunt mysterijs, eodē redempti sanguine,

eadem renati fonte, ijsdem aluntur sacramentis,
eisdem militant imperatori, eodem vescitur pane,
eiusdem participes sunt calicis, communē habent
hostem diabolū, postremo ad eandem omnes vo-
cati sunt hereditatem. Vbi sunt tam multa per-
fectæ concordiæ sacramenta? vbi tam innume-
ra pacis documenta? Vnum præceptum C H R I S T I
appellavit suum, nempe charitatis. Cum
hac quid æque pugnat atq; bellum? Felici pacis
omine salutat suos. Discipulis præter pacem nihil
donat, præter pacem nihil relinquit. In sacrificiis il-
lis precibus illud præcipue patrem orat, ut quæ
admodum ipse idem erat cum eo, ita & sui, hoc
est Christiani, idem essent secum. Iam plus au-
dis quam pacem, plus quam amicitiam, plus quam
concordiam. C H R I S T I typum habebat Solo-
mon, quod Hebræis pacificum sonat. ab hoc sibi
templum extrui voluit. Nato C H R I S T O, non
bellum neque triumphos, sed pacem canunt an-
geli. De nondum nato præciniuit vates ille my-
sticus, Et factus est in pace locus eius. Vniuer-
sam illius doctrinam excute, nihil yngquam re-
peries quod non spiret pacem, quod non sonet Doctrinā
amicitiam, quod non sapiat charitatē. Et quoniā Christi,
intelligebat pacem aliter non posse constare, nisi plena
penitus contemptis his pro quibus mundus hic
digladiatur, iussit vt à se disceremus esse mites.
Beatos vocauit, qui diuittas pro nihilo ducerent.
nam hos vocat pauperes spiritu. Beatos, qui vo-
luptates huius mūdi spernerēt, quos lugētes ap-
pellat, qui se paterentur suis exturbari possessio-
nibus, sc̄ientes hic nihil aliud esse q̄ exillum, verā
b.iiiij.

Doctrinā
Christi,
plena
pacis &
charita-
tis.

B E L L V M

patriam, veram possessionem in cælo sitam esse
pijs. Beatos, qui benemerentes de omnibus, im-
pune & male audiret, & malis afficerentur. Ve-
tuit ne quis malo resisteret. Breuiter ut omnis il-
lius doctrina tolerantiam & amorem præcipit,
ita tota vita nihil aliud docet, quam mansuetu-
dinem. Sic ille regnauit, sic bellauit, sic vicit, sic
triumphauit. Nec aliud inculcant Apostoli, qui
purum adhuc C H R I S T I spiritum imbibe-
rāt, & musto illo feliciter erat temulent. Quid
vndique sonant omnes Pauli literę, nisi pacem,
nisi longanimitatem, nisi charitatem? Quid Io-
annes loquitur, quid iterat, nisi dilectionem?
Quid aliud Petrus? quid aliud omnes vere Chri-
stiani scriptores? Vnde tantus bellorum tumul-
tus inter filios pacis? An fabula est quod C H R I-
S T V S se vitem appellat, suos palmites? Quis
vnquam vidit palmitem pugnare cum palmi-
te? An vanum est, quod non semel scripsit Pau-
lus, Ecclesiam nihil aliud esse, quam vnum cor-
pus è diuersis membris conexū, adhærens vni
capiti C H R I S T O? Quis vidit oculum pugna-
re cum manu, aut ventrem cum pede? In hoc
vniuerso, rerum omnium tam dissimilium har-
monia est. In aialis corpore pax est mēbro cum
membro, quod quaę pars dotis habet, non vni
sibi habet, sed in cōmune omnibus. Si quid acci-
dit vnicuiuslibet, opitulatur vniuersum corp⁹. An
plus potest in perituro corpore naturę cōnexio,
q̄ in mystico & īmortali copula spiritus? An fru-
stra precamur illud ex præscripto C H R I S T I,
Fiat voluntas tua, quemadmodum in cælo, sic &

in terra? In illa ciuitate summa concordia est. At c H R I S T V s nihil aliud esse voluit suam ecclesiam,quam cælestem quēdam populum in terris,ad illius imaginem,quoad fieri potest,viuentem,illō properantem , ab illo pendentem. Age,finge iam mihi nunc nouum aliquem hospitem vel ē lunaribus illis ciuitatibus quas inhabitat Empedocles,vel ex vno quopiam mundo eorū quos innumerabiles fabricatus est Democritus,in hunc nostrum venisse,quid hic rerum agatur cupientē cognoscere: cumq; de singulis edoctus,audierit esse vnum quoddam animal mire cōmixtum ex corpore,quod cū bratis habeat commune:ex animo,quo diuinę mētis referat imaginem : id adē esse generosum,vt quanquam hic exulet,tamen cæteris omnibus imperet animātibus:quod ob cælestem originem semper ad cælestia nitatur, & immortalia : quod intātum curæ fuerit æterno numini, vt quoniam neque naturæ viribus , nec philosophiæ rationibus assequi poterat quod affectabat,vnicum filium suum huc delegarit,qui nō uñ doctrinæ genus inuixerit : deinde simul atque totam c H R I S T I vitam,ac decreta perdis dicerit,cupiat ex edita quapiam specula videre quod audisset: vbi confpexerit cætera anima tia probe in suo genere degere , ac naturæ legis bus duci,nihil appetere nisi quod dictet natura: vnu animal inter se cauponari, negotiari, rixari,belligerari:nonne quoduis animal potius suspicabitur hominem esse de quo audierit,quam ipsum hominem ? Deinde admonitus ab indice

B E L L V M

quis sit homo, iā dispiciat vbi sit grex ille Christianus, qui celestis illius doctoris institutum sequentes, angelicæ ciuitatis simulacrum exhibeant: an non vbiuis potius iudicabit habitare Christianos, quām in hisce regionib⁹ in quibus tantam videret opulentiam, luxum, libidinem, fastum, tyrannidem, ambitionem, fraudem, inuidiam, iracundiam, discordiam, rixas, pugnas, bella, tumultus, breuiter omnium rerum quas

C H R I S T Y S damnat, maorem penè Lernam, quām apud ullos Turcas aut Saracenos? Vnde igitur pestis hæc irrepsit in populum Christianum? Nimirū paulatim hoc quoq; malum, sicuti cetera pleriq; receptum est ab incautis. Si quisdem omne malum aut sensim obrepit in hominum vitā, aut sub prætextu boni sese insinuat.

Primū igitur irrepsit eruditio, velut idonea res ad confutandos hereticos, philosophorum, poetarum & oratorū literis armatos. Et initio quidem non ista discebantur à Christianis, sed quibus forte contigerat ante C H R I S T V M cognitum, hī quod iam partū erat, in pios cōferebant vsus. Eloquentia quoq; dissimulata magis quām spreta primum, deinde palam etiam comprobata. Proinde sub prætextu profligandi hereticos subrepit ambitionis rixādī libido, quæ non mediocrem ecclesiæ pestem inuexit. Tandem huc processum est, vt in medium Theologiam totus

Aristoteles. sit receptus Aristoteles, & ita receptus, vt huius authoritas penè sanctior sit quām C H R I S T I. Nam si quid ille dixit parum accommodum ad vitā nostram, licet interpretatione detorquere.

Erudi-
tio.

Aristo-
teles.

cæterum exploditur illico qui vel leviter ausit Aristotelicis oraculis refragari. Ab hoc didicimus nō esse perfectam hominis felicitatem , nisi corporis & fortunæ bona acceſſerint . Ab hoc didicimus non posse florere temp̄ publicā, in qua ſint omnia communia . Huius omnia decreta cū C H R I S T I doctrinā conāmur adglutinare, hoc eſt aquam flammis miſcere. Recepimus nonnihil & à Cæſareis legib⁹, propter æquitatē quā p̄r se ferunt: & quo magis conuenirent, Euangelicam doctrinam ad eas quoad licuit detorſimus. At hæ permittunt vīm vi repellere, ſuum quemque ius persequi, probant negotiationem, recipiūt uſuram, modo moderatam: bellum ceu rem præclaram efferunt, modo iustum . Denique tota iam C H R I S T I doctrinā, dialektico- rum, ſophistarum, mathematicorum, oratorū, poētarum, philosphorum, & iureconsultorum gentilium literis ita contaminata eſt, vt maxima pars æui consumenda ſit priuquam va- cet arcana ſcrutari literas: ad quas vt aliquando venias, tot tamen opinionibus mundanis in- fectus accedas oportet, vt C H R I S T I iam decreta aut prorsus offendant, aut ad illorum dogmata torqueantur. Atque hæc res adeò non improbatur, vt nefas ſit eum de Christianis lo- qui literis, qui ſeſe nugis Aristotelicis, vel potius ſophisticis, totū ad ambas uſq; quod aitū, aures nō expleuerit. Quaſi vero C H R I S T I doctrina ſit huiusmodi, vt non vel maxime poſſit eſſe cō- munis omnium, vel vlo pacto cum philospho- rum ſapientia cōſentiat. Post hæc recepimus ho-

B E L L V M

noris nōnihil. Quem deinde veluti debitū cōsumus exigere. Id vīsum est non iniquum. Deinde recepimus opes, sed in pauperum subsidiū distribuendas, post etiam in vīsus nostros. Quid nī, posteaquā dīdicimus hunc esse charitatis ordinem, vt sibi quisque sit proximus? Neque derant prætextus huic malo, Pium consulere liberis, Aequum prospicere vētūrē senectuti. Postremo cur reiſcam opes, inquiunt, si citra fraudem contingat? His gradibus paulatim eō ventum est, vt is optimus habeatur, qui sit locuplesſtissimus, nec vñquam maior fuerit honos diuītijs apud Ethnīcos, quām hodie sit apud Christianos. Quid enim est omnino vel sacrum, vel prophanum, quod non harum geratur arbitrio? Videbatur his ornamentiſ conuenire nonnihil imperij. Negi defuit qui voluerit cedere. Receptum est hoc quoq; sed grauatim, & parce, demum ita, vt solo titulo contenti, rem libenter in alios reiſcerent. Postremo paulatim huc itum est, vt episcopus sibi non videatur episcopus, nīſi mundanę ditionis aliquid acceſſerit. Parum honestus Abbas, si nusquam poſſit quod poſſunt tyrāni. Tandem perfricta facie, pudorem omnem abſterſimus, omnia verecūdīæ repagula discussimus. Quicquid vñquam apud Ethnīcos fuit avaritiae, quicquid ambitionis, quicquid luxus, quicquid fastus, quicquid tyrannidis, id imitamur, æquamus, vincimus. Et vt de leuioribus interīm ſileam, an vñquam apud Ethnīcos bellatum est aut æque perpetuo, aut crudeleius quām inter Christianos? Quas tempeſta-

tes, quos bellorū æstus, quoties dissicca fœdera,
 quas strages his paucis annis cōspeximus? Quæ
 natio, cum qua non cōfictata est ferro? Et post
 ea Turcam execramur: quasi possit vllum spe
 ctaculum esse Turcis iucundius, quām quod il
 lis quotidie mutuis cladibus exhibemus ipsi. In
 saniebat Xerxes cum ingentem illam multitu
 dinem Græciam inuasurus educeret. An tibi cō
 stitisse animo videtur, qui Atho monti minaces
 scripsit epistolas ni cederet? qui mari Helleſ
 poto, quād partū cōmodum suisset nauigare vo
 lenti, plagas iussit infligi? Furebat Alexander
 ille magnus. Quis negat? Optabat semideus il
 le plureis mundos, quos deuinceret. tanta glorię
 febris iuuenilem obſederat animum. Et tamen
 isti, quos Seneca non dubitat furiosos appellare
 latrones, bellabant humanius nobis, bellabant
 maiore fide, nec similibus machinis, nec simili
 bus artibus, nec tam friuolis titulis, quām bel
 lamus Christiani. Illi præter gloriam nihil am
 biebant. Gaudebant florētiores reddere prouin
 cias quas bello subegissent: populos agrestes, si
 ne literis, sine legibus, ritu ferarū viuentes, ciui
 libus artibus expoliebāt. Regiones incoltas ex
 tructis oppidis reddebant celebres. Parum tu
 ta communiebāt pontibus, littoribus, aggeris
 bus, millēque id genus commoditatibus vitam
 hominum adiuuabāt: vt tum expedierit deuin
 ci. Quin in medijs etiam bellis quām multa fe
 runtur ab his vel dicta sapienter, vel gesta tem
 perate? Cæterum quæ gerūtur in bellis Christia
 norū, & obſceniora sunt & atrociora, quām vt

Xerxes.

Alexander.

B E L L V M

sint hic cōmemorāda. Proinde quod in illis erat
pessimum, id solum exprimitus, immō supera-

mus. Sed iam operæ pretium fuerit audire quib⁹
argumēta quib⁹
vtuntur
isti qui
bellū ap
probāt.
Refellit
bus modis hanc tantā insaniam nostram tuea-
mur. Si nullo, inquiunt, pacto fas esset bellare,
Deus non fuisse Iudæis author bellandi aduer-
sus hostes. Audio, sed illud addas oportet, Iudæ-
os nunq̄ bellasse inter se, verū aduersus alieni-
genas & impios. Nos Christiani pugnamus cū
Christianis. Illis diuersa religio, & non eadem
numina, dissidij causa fuit: nos aut puerilis ira,
aut pecuniaē fames, aut gloriaē sitis, se penumero
feda merces hue adducit. Illi iussu diuino pu-
gnabāt: nobis animi perturbatio ferrum dat in
manum. Quanquā si vsque ad placet exemplū
Iudæorum, quin eadem opera præputium exci-
dimus: quin immolamus pecudes: quin abstine-
mus à carne suilla? Cur non ducimus singuli plu-
res vxores? Cum hæc execremur, cur solum bel-
landi placet exemplum: cur hic deniq̄ literam
sequimur occidentē? Iudæis perfrissum est bel-
lum, sed ita, quemadmodum & repudium, nimi-
xū ob durtitiam ingenij. At posteaquam C H R I-
S T V S iussit recondi gladium, nefas est pugnare
Christianos, risi pulcherrimū illud prælium, cū
teterrimis hostibus ecclesia, cū studio pecuniaē,
cum fracūdia, cū ambitione, cū metu mortis. Hi
sunt Philistei nostri, hi Nabugodonosor, hi Mo-
abitæ, & Ammonitæ, cum quibus nullas nobis
inducias esse oportet, assiduaē conserendæ ma-
nus, donec excisis funditus hostibus succedat
trāquillitas: quos nisi subegemus, necq̄ cuiquā

secum, neq; cum alio vera pax constare poterit. Solum hoc bellum verā dignit pacem. Hic qui vicerit, cum nemine mortaliū belligerari velit. Nihil enim me mouet quod quidam duos gladios interpretantur utrāq; potestatem, secularem, & ecclesiasticā: cum C H R I S T V S in hoc ipsum paſlus sit Petrum errare, ut posteaquam iussus effet gladium recondere, nemini dubium relinqueretur quin vetitum effet bellum, quod antea videbatur esse licitum. Sed Petrus, inquit, pugnauit. Pugnauit, sed Iudæus adhuc, nondum accepto spiritu vere Christiano. Pugnauit non pro suis titulis aut prædijs, vt nos, ne pro sua quidem vita, sed pro vita magistri. Deniq; pugnauit is, qui paulo post abnegauit. Si placet exemplum pugnantis, placeat & insciantis. & cum simpliciter laberetur affectu, tamē reprehensus est. Alioqui si probabat huiusmodi defensionem C H R I S T V S, sicut quidam insulsissime interpretantur, cur omnis illius & vita & doctrina nihil aliud quam toleratiā prædicat? Cur suos baculo tantum & pera armatos, tyrannis obijcit? Si gladius ille quē diuenditis omnibus iubet emi C H R I S T V S, est moderata aduersus persecutores defensio, quē admodum impie quidam interpretantur, nedū ineruditē: cur hac nunquā vñ sunt martyres? At dictat hoc, inquit, ius naturæ, legibus comparatū est, consuetudine receptum est, ut vim vi propellamus, & vitā quisq; suam tueamur, tum & pecuniam, quandoquidē animæ loco est, ut inquit Hesiodus. Fateor, at his omnibus effi-

B E L L V M

cacior gratia,dicitat,ne remaledicamus maledi-
centibus,vt de malemerētibus benemereamur,
vt tollenti partem possessionum,totam cōceda-
mus,vt deprecemur pro his quoque , qui mortē
intentant. Ad apostolos,inquit,ista pertinēt.
immō ad vniuersum C H R I S T I populum,&
corpus,vt diximus.quod totum absolutum esse
oportet, etiam si in dotibus aliud membrū alio
sit insignius . Ad eos nihil pertineat doctrinā
C H R I S T I,qui nō sperāt præmiū cum C H R I-
S T O . Illi pro pecunia prædijscq; digladiantur,
qui rident quod dixit C H R I S T V S,beatos pau-
peres spiritu,hoc est,eos diuites,qui nihil in hoc
mundo concupiscerent diuitiarum.Qui felicita-
tis summam in his collocarunt opibus,dimicāt
pro tuenda vita,sed ij,qui non intelligunt hanc
mortem esse potius quam vitam,& pijs immor-
talitatem esse paratam.Iam obiciūt nobis Ro-
manos aliquot pōtifices,qui bellā dī fuerint au-
thores, simul & adiutores.Obiciunt decreta pa-
trum,in quibus bellum approbari videtur.Sunt
quidem huiusmodi quædam,sed apud recentio-
res,C H R I S T I vigore iam relangescente, sed
ea per pauca,cū sint inumerā apud probatē san-
ctitatis scriptores,quæ à bello deterreant . Cur
hæc paucula nobis potissimum in mentem ve-
niunt?Cur à C H R I S T O ad homines deflecti-
mus oculos,& incerta exempla,quām indubita-
tum authorem sequi malumus ? Romani pon-
tifices primum homines fuerunt . Deinde fieri
potest vt aut stulti fuerint,aut mali. Quāquam
ne inistis quidem compertes hoc genus bellorū,

quo nos assidue cōfictamur, approbatum fuis-
fe. Id quod clarissimis euincerem argumentis,
ni fugerem digressioni longius immorari. Lau-
dauit diuus Bernardus bellatores, sed ita lauda-
uit, ut nostram omnem damnet militiā. Quan-
quam cur me mouet potius Bernardi scriptum,
aut Thomae disputatio, q̄ C H R I S T I dogma,
qui in totum vetuit ne malo resistamus, nimirū
eo more quo vulgus resistit? Sed licet, inquiunt,
vnum maleficum afficere suppicio: licet igitur
& ciuitatem vlcisci bello. Quid hoc loco respon-
deri possit, prolixius est, quam ut sit replican-
dum. Illud modo dicā, hoc interesse, quod in iu-
dicijs cōuictus dat poenas legibus: in bello vtra-
que pars alteram ream agit. illuc ad eum modo
redit malum, qui læsit, exemplū ad omnes per-
uenit: hic maxima pars malorum in eos redun-
dat, qui minime digni sunt malo, nēpe ad agri-
colas, ad senes, ad matronas, ad pupilos, ad vir-
gines. Cæterum si ex re omnium pessima quic-
quam omnino commodi potest colligi, id totū
ad sceleratissimos aliquot latrones deriuatur, ad
militem mercenarium, ad strenuos prædones,
ad pauculos forte duces, quorum artificio bel-
lum in hoc ipsum fuerat excitatum, & quibus
cum nunquam melius agitur, quam in summo
Reipublicæ naufragio. Illuc vni non parcitur, ut
omnium consulatur salutis: hic ut paucorum, aut
vnius fortassis vicem vlciscamur, tot hominum
milia nihil commeritorū crudeliter affligimus.
Præstat paucorū admissum impunitum omitti,

c.j.

B E L L V M

quām dum vnum aut alterum in pœnam de-
poscimus incertam, nos tristis & fimitos,
& innocentes hostes, sic enim vocamus, in certū
adducere discrimen. Satius est relinquī vulnus,
cui sine graui totius corporis pernicie mederi
non quæas. Quod si quis clamet iniquū, non da-
re poenas qui peccarit, respondeo multo esse ini-
quiū, tot innocentum milia citra meritum in
extremam vocari calamitatem. Quanquam his
temporibus omne ferè bellum è titulis nescio
quibus nasci videmus, & ex principum foederis-
bus, dum vt vnum aliquod oppidulum suæ vin-
dident ditioni, totum periclitantur imperium:
deinde hoc ipsum, quod tanto sanguine vindi-
catum est, rursum aut reuendunt, aut donant.
Dixerit aliquis. Non vis igitur principes suum
ius persequi? Scio nō esse mei similium, de prin-
cipum negotijs audacius disputare: quod vt tu-
tum sit, prolixius tamen est quām vt huic loco
conueniat. Tantum illud dicam, si titulus qua-
liscunque videbitur idonea suscipiédi belli cau-
sa, in tantis rerum humanatum vicibus, tantis
comutationibus, nulli posse titulum deesse. Que
gens non aliquando suis sedibus & pulsa fuit, &
pepulit? Quoties aliunde demigratum est alio?
Quoties huc & illuc, vel casu, vel ex foedere trâ-
lata imperia? Repetant scilicet hodie Patauini
Troianum solum, quod Antenor olim fuerit
Troianus. Repetant Africam & Hispaniam
Romani, quod ha' prouinciaz quondam fuerint
Romanorum. Dominium vocamus quod est

administratio. Non est idem ius in homines natura liberos, & in pecudes. Hoc ipsum ius quod habes, populi consensus dedit. Eiusdem autem, ni fallor, est tollere, qui contulit. Vide quam non magna res agitur. Non illud decertatur, ut hæc aut illa ciuitas bono principi pareat, non tyran no seruiat, sed utrum Ferdinandi censeatur titulo, an Sigismundi. Philippo censum pendat, an Ludouico. Hoc est illud egregium ius, ob quod vniuersus orbis bellis cadiibusque miscetur. Sed esto valeat quantum libet hoc ius, nihil inter sit inter priuatum agrum & ciuitatem, nihil inter pecudes tuo ergo emptas, & homines non solum ingenuos, verum etiam Christianos. attamen prudentis est expendere num tanti sit, ut tam immensis tuorum malis persequaris. Si principis animum præstare non potes, at saltem negotiatoris adhibe. Contemnit ille dispeñium, si perspicerit vitari non posse nisi grauiore iactura: & lucri loco ducit, quod paululo damno cum fortuna deciderit. Saltem illum imiteris, de quo vulgo non infestua fabula celebratur. Parum conueniebat inter duos quosdam cognatos de re diuidunda. cumque neuter alteri vellet cedere, res eod spectabat, ut iretur in ius, & iudicium sententijs controversia finiretur. Adiabantur aduocati, Parabatur dicç, Res erat cum iure consultis. Aditi iudices, cœtestata lis, coepit agi causa, hoc est, bellum suscepturn. Ibi alter mature resipiscens, aduersatum priuatim accusitum his verbis alloquitur Principio, pa-

Exempli.

c.ij.

B E L L V M

rum decorum est, ut quos natura copulauit, pecunia dissociet. Deinde incertus est litis euentus haud minus quam belli. Suscipere nobis in manu est, finire non est. De centum aureis tota lis est. Eius summæ duplum in notarios, in promotores, in aduocatos, in iureconsultos, in iudices, in iudicium amicos expendetur, si legibus exspectiamur. His erit inseruendum, adulandum, dannandum, ut ne dicam interim curas ambiendi, cursitandiq; labores: ut maxime vincam, plus tamē est incommodi quam commodi. Quin potius ipsi nobis sapimus quam ipsis prædonibus, & in hos male collocandam pecuniam, inter nos partimur. Concede dimidium de tuo, ego tantundem de meo cōcedam. Ita & amicitiam nostram alios qui perituram lucrificiemus, & tantam molestiam effugiemus. Quod si recusas quicquam cōcedere, ego vel vniuersum negotium tuo permitto arbitratui. Malo penes amicum sit hæc pecunia, quam penes insatiabiles illos prædones. Abunde magnum fecero lucrum, si & famę pepercero, & amicum seruauero, & tantum effugerо molestiarum. Mouit aduersarium tum rei veritas, tū cognati festiuitas. Rem inter se transegerunt, iratis aduocatis & iudicibus, quos coruos deluserant hiantes. Vel horum igitur prudentiam in re tanto periculosiore studeas imitari: neque solum spectes quod velis assequi, sed quanta bonarum rerum iactura, quantis periculis, quantis calamitatibus sis affecuturus ut assequaris. Quod si ceu lancibus hinc atque hinc

expensis commodis & incommodis , comperis
 multo potiorem esse pace iniquam , quam bel-
 lum æquum , cur mavis Martis aleam experitis?
 Quis enim nisi demes aureo pescetur hamo ? Si
 vides multo plus impendij quam lucri , etiam si
 feliciter cadant omnia , nonne prestat aliquid de
 tuo fure concedere , quam paululum commodi-
 tam innumeris mercari malis ? Malo penes quæ
 cunque sit titulus , si mihi tanta Christiani san-
 guinis factura vindicandus est . Ille quisquis est ,
 multis iam annis possedit , assuevit habens , agno-
 scitur a suis , fungitur munere principis : & exos-
 rietur aliquis , qui veteri quopiam titulo ex ana-
 nalibus aut oblitteratis monumētis reperto , be-
 ne compositum rerum statum , sursum ac deor-
 sum misceat ! Præsertim cum videamus in re-
 bus mortalium nihil suo loco consistere , sed lu-
 dibrio fortunæ velut æstu quodam affluere , ac
 defluere . Quorsum attinet tanto tumultu vîna-
 dicare , quod mox quolibet casu sit aliò demigra-
 turum ? Postremo si ista tam levicula nō possunt
 contemnere Christiani , quorsum opus est pro-
 tinus ad arma rapi ? Tot habet mundus episco-
 pos graues & eruditos , tot habet venerabiles ab-
 bates , tot optimates grandæuos , & longo terū
 vñ sapientes : cur non potius horum arbitrio
 pueriles istiusmodi principum querimoniae co-
 ponuntur ? Sed honestior est illorum oratio , qui
 prætexunt Ecclesiæ defensionem , quasi vero po-
 pulus non sit Ecclesia , aut quasi tota Ecclesiæ di-
 gnitas in sacerdotum opibus sita sit , aut quasi

B E L L V M

bellis ac stragibus orta , prouecta , constabilita
sit Ecclesia, ac non potius sanguine, tolerantia,
vitæque contemptu . Mihi sanè ne hoc quidem
adèd probādum videtur , quòd subinde bellum
Bellū in molimur in Turcas. Male profecto agitur cum
Turcas. religione Christiana, si illius incolumitas à talis
bus pendet præsidij . Neq; consentaneum est
his initijs bonos gigni Christianos. Quod ferro
paratum est, ferro vícissim amittitur. Vis Tur-
cas ad C H R I S T Y M adducere! Ne ostentemus
opes, ne militum manum, ne vires . Videant in
nobis non titulum tārum, sed certas illas homi-
nis Christiani notas, vitam innoxiam, studium
benemerendi etiam de hostibus , iniūctam om-
nium iniuriarum tolerantiam, pecunie contem-
ptum, gloriae neglectum, vitam vilem , audiant
cælestem illam doctrinam cum huiusmodi vita
congruentem . His armis optime subiguntur
Turcæ. Nūc sæpen numero mali pugnamus cum
malis. Dicam aliud, & vtinam audacter quam
verius, si titulum crucisque tollas insigne , Tur-
cæ cum Turcis digladiamur. Si militum manu
constituta est religio, si ferro cōfirmata , si bellis
aucta, tueamur eam ijsdem præsidij . Quòd si
diuersis rationibus peracta sunt omnia , cur ves-
luti Christi præsidio diffisi , ad ethnicas confus-
gimus suppetias ! At cur non iugulem , inquis-
unt, eos qui nos iugulant ! Ita ne putas indi-
gnum, si quis sit te sceleratior ! Cur non spolias
spoliantem ! Cur non conuitiaris conuictantis !
Cur non odisti odio habentem ! An Christianū

facinus esse putas, si trucidatis impijs quidem,
 sed tamen hominibus, pro quibus feruādis mor-
 tuus est C H R I S T U S , gratissimam diabolo
 victimam mactes, bisque delectes hostem, &
 quod occiditur homo, & quod occidit Christias-
 nus? Plerique dum volunt videri valde Chris-
 tiani, student Turcis quamplurimū facere ma-
 li: & quod facere non possunt, execrātes impre-
 cantur: cum hoc ipso argumento parum Chris-
 tianum liceat deprehendere. Succurre Turci:
 ex impijs, si potes, reddito piōs: si non potes,
 opta, & agnoscā mentem Christianam. Ve-
 rum hisce de rebus omnibus aliquanto copio-
 sius audietur, cum ædemus librum cui titulum
 fecimus Antipolemo, quem olim Romæ vi-
 tam agentes, ad Iulium secundum Romanum
 pontificem conscripsimus eo tempore quo de
 bello in Venetos suscipiendo consultabatur.
 Illud deplorandum potius quām refellendum.
 Si quis exactius rem excutiat, reperiet omnia
 ferē Christianorum bella vel è stultitia vel è
 malitia nasci. Nonnulli iuvenes, & rerum im-
 periti, maiorum malis exemplis, historiarum,
 quas de stultis prodidere stulti monumentis, ad
 hoc inflammati, dehinc instigantibus adulas-
 torum hortatibus, extimulantibus iurecon-
 sultis ac Theologis, assentantibus, aut conni-
 uentibus episcopis, fortassis & exigentibus,
 temere magis quām malitiose bellum suscipi-
 unt, & tanto totius orbis malo discunt bellum
 rem esse modis omnibus fugiendam. Alios oc-
 c. iiiij.

Antipo-
 lemusr
 Erasmi.

B E L L V M

cultum odiū, alios ambitio , alios animi feritas
in bellum impellit . Quandoquidem ne nostra
quidem Ilias quicquam præterquam stultorum
regum & populorum cōtinet iras . Sunt qui non
aliam ob causam bellum mouent, nisi ut hac via
facilius in suos tyrannidem exerceant . Nam pa-
cis temporibus, senatus authoritas, magistratuū
dignitas, legum vigor, nō nihil obstant quo mi-
nus licet princi pi quicquid libet . At bello suscep-
pto, iam omnis rerum summa ad paucorum li-
bidinem deuoluta est . Euchuntur quibus bene-
vult princeps , deficiuntur quibus infensus est,
exigitur pecunia quantum libet . Quid multis?
Tum demum sentiunt se vere monarchas esse.
Colludunt interim duces , donec infelicē popu-
lum vscq; ad radicem arrosetint . Hoc animo qui
sint, an eos putas grauatim artepturos oblatam
quācunque belli occasionem ? Deinde morbum
nostrū honestis titulis præteximus . Inhio Tur-
carum opibus, & obtendo religionis defensionē
obsequor odio meo, & prætexo ius ecclesiæ . Ser-
vicio ambitioni , sequor iram, rapit animus ferox
& impotens: & ruptum foedus, violatam amicis-
tiam, omissum nefcio quid de sponsaliū legib;,
aut simile quippiam causor . Iam dictu mirum
est, quām non assequantur hoc ipsum quod af-
fectant, & dum stulte vitant hoc aut illud ma-
lum, in aliud, aut etiam in idem multo grauius
incident . Etenim si gloria ducuntur , non paulo
magnificētius est seruare, quām perdere : multo
pulchrius extruere ciuitatē, quām demoliri . De-

Inde ut prosperrimo Marte res geratur, quātula
gloriarum portio redibit ad principē! vnde magnā
partem sibi vindicat populus, cuius pecunia res
confecta est, maiorem miles exteris, vt plerūq;
sit, & conductitius, nōnullam duces, maximam
fortuna, quæ cum in omni negotio, tum in bello
valet plurimum. Si sublimitas animi stimulat
in bellum, vide quæso quām non recte tibi con-
sulis ista ratione. Dum vni non vis cedere, puta
vicino principi, fortassis affini, forsitan olim be-
nemerito, quanto abiectius te supplicem facis,
dum suppetias imploras barbarorum, &, quod
est indignius, omni facinorum genere contami-
natorum hominū: si modo homines oportet vo-
care huiusmodi beluas. Dū incestis, homicidis,
prædonibus (per hos enim potissimum bellū ge-
ritur) polliceris, adularis, palparis, & dum in æ-
qualem feroculus esse studes, infimæ mortalium
feci teipsum cogeris submittere. Dumq; paras
qualécunq; finitimum suis sedibus dejcere, pe-
stilentissimam nebulonum collauiem in tuas se-
des admittas oportet. Non fidis affini, & arma-
tae multitudini credis teipsum? Quanto tutio-
rem poterat reddere concordia? Si lucro trahe-
ris, calculos adhibe. Placeat bellum, nisi videris
non æstimandis dispendijs compendium peti,
non solum lōge minus, sed etiam incertum. Sed
consulis respublcae immo non alia via citius ac
perditius pereunt respublce, quām bello. Prius-
quam incipiās, iam plus nocuisti patrīæ, quām
sis profuturus vīctor. Exhauris ciuium opes, lu-

B E L L V M

Etu funestas domos, omnia latronibus, furibus,
stupratoribus imples . Has enim reliquias parit
bellū. Et cū ante licuisset vniuersa frui Gallia, à
multis regionib⁹ teipsum excludis . Si vere tuos
amas, quin tibi illa veniunt in mentē , Cur ego
hanc tam floridā iuuentutē omnibus malis obij
ciam? Cur tot matronas suis maritis, tot liberos
suis orbabo parētibus? Cur titulum nefcio quē,
& anceps ius, meorū asserā sanguine ? Vidimus
cū prætextu defendēdā ecclesiæ bellū esset sus-
ceptum, crebris dectimationibus sic expilari fa-
cerdotes, vt nūl⁹ hostis potuerit hostilius. Itaq;
dum stulte vitamus foueam, vlt̄ nos ipsos in
fouā p̄cipitamus. Dum leue iniuriā pati nō
possimus, ipsi nos summis afficimus contume-
lijs. Dum pudet motigerū videri principi, sup-
lices reddimur infirmis. Dum libertatē imput-
denter affectamus, grauissimæ seruituti noſmet
fractimus. Dum paululum venamur lucri, dam-
nis immensis nos ac nostros afficimus. Pruden-
tis erat hæc secum expendere: Christiani, si mo-
do vere Christianus sit, rem tam tartareā , tam
alienam à vita simul & doctrina C H R I S T I ,
modis omnibus fugere, deprecari, propellere.
Quòd si vitari nullo pacto potest ob multorum
improbitatē: vbi nihil intentatum reliqueris,
posteaquam pacis studio omnem moueris lapi-
dem, tum proximum erit dare operam vt mala
res per malos geratur, & quām minimo dispen-
dio humani sanguinis cōficiatur, si demus ope-
ram, vt re simus id quod audimus, hoc est, nihil

admiremur, nihil ambiam⁹ quod est huius mundi. Nam si tantū hoc agimus, vt hinc q̄ maxime expediti euolemus: si toto nisu rapimur ad cœlestia: si felicitatis nostræ summam in uno C H R I S T O collocam⁹: si quicquid est vere bonū, vere splendidū, vere iucundum, in hoc uno situm esse credimus: si persuasum habemus hominē pium à nemine lædi posse: si perpendimus quām inania sint, quām fugacia rerum humanaarum ludibria: si penitus intuemur quām ardua res sit hominem quodammodo transformari in Deū, & hic ita meditatione quadā indefatigabili res purgari ab huius mundi contagij⁹, vt mox abiecto corporis exuio in angelorū demigret consortium: in summa, si præstamus hæc tria, sine quibus nemo Christiani cognomē promeretur, Innocētia, vt puri simus à vitijs.: Charitatē, vt bene mereamur quoad fieri potest de omnibus: Patiētia, vt malefaciētes tolerem⁹, & si liceat, iniuriā beneficijs obruamus: quęso quod bellum possit inter nos de nugis existere? Si fabula est C H R I S T V S, cur nō explodimus ingenuos? cur illius titulo gloriamur? Sin is vere est & via, & veritas, & vita: cur oēs nostræ rationes ab hoc exemplari tātopere dissident? Si C H R I S T V M authorē agnoscimus, qui charitas est, & nihil docuit, nisi tradidit nisi charitatem & pacē: agite non titulis & insignibus, sed factis hūc exprimamus & vita. Amplectamur pacis studium, vt C H R I S T V S viciſſim agnoscat suos. In hoc pontifices, i hoc prīcipes, in hoc ciuitates cōſilia sua

Innocētia. Charitas.
Patiētia.

B E L L V M

conferant. Satis haec tenus fusum Christiani san-
guinis. Satis voluptatum exhibuimus Christia-
ni nominis hostibus. Quod si quid suo more tu-
multuatur populus, à principibus cohibeatur,
quos hoc oportet esse in republica, quod oculus
est in corpore, quod in anima ratio. Rursum si
quid turbant principes, certe pontificum est sua
prudentia suæq; autoritate rerum motus com-
ponere. Vel tādem satiati bellis tam diutinis, pa-
cis tangamus defyderio. Trahit huc ipsa calamis
tas, inuitat C H R I S T V S, adhortatur pontis
fex, si quisquam aliis, vere maximus, L E O decis-
mus, ac vere pacifici Solomonis nostri vices ge-
tens. Cuius omnia vota, omnia consilia, omnes
conatus hic tendunt, vt quos cōmunis copulat
fides, eos & cōmunis lungat cōcordia. Hoc mo-
litur, vt ecclesia nō opibus aut imperio, sed suis
ac proprijs dotibus efflorescat. Pulcherrimum
profecto munus, ac prorsus tali dignum heroë
clarissimis illis Medicib⁹ prognato, quorū ciuiti
prudētia factū, vt inclyta Florentinorū ciuitas
diutina pace fuerit florentissima, quorū domus
omnīū bonarum disciplinarum fuit præsidium.
Ipse placidum ac mite sortitus ingeniū, a tene-
ris, vt aiunt, vnguisculis, humanis literis, ac mā-
suetoribus Musis initiatus, inter eruditissi-
mos viros, ac velut in Musarum gremio educa-
tus, vitam ac famam inculpatam, & ne in liber-
tina quidē ciuitate Roma, vlla vnq; sinistri ru-
moris aspersam macula, ad summū pōtificium
attulit. Ad quod hic non ingessit se, sed nihil

P E R D E S. E R A S. R O T E R. 23

minus quām hoc expectans, veluti diuina voce
nominatim accitus est, quō rebus humanis longa
bellorum tempestate fessis succurreret. Sit
penes Iulium bellī gloria, habeat ille sibi suas vi-
ctorias, habeat sibi magnificos triumphos. Quę
quām deceant Christianum pontificem, haud
est mei similium pronunciare. Dicam hoc mo-
do, gloriam illius, qualisunque fuit, cum plus
rimorum exitio dolorēque coniunctam fuisse.
Longe plus vere glorię pariet Leoni nostro pax
orbis reddita, quām Iulio pepererūt tot bella per
vniuersum orbem vel excitata fortiter, vel gesta
feliciter. Sed longius quām par est huic digres-
sioni videbimur immorati, ijs qui de proverbijs,
quām de pace bellōque malunt audire.

F I N I S.



